SELECTAE E PRAXI DECENNALI IN NOSOCOMIO MONTIS S…

Filippo Carresi

Haec si pernosces, parva perfunctus opella
(Namque aliud ex alio clarescet) non tibi caeca
Nox iter eripiet, quin ultima Naturae
Pervideas, ita res accendent lumina rebus.

(Lucretius de Natura Lib. I.)

TVIS MANIBVS OPTVME PATRVM
PRAEMATVRO ADEMPTE FATO
QVI DVM VIXTI HIPPOCRATICAM ACIEM
SEDVLO SEQVVTVS
PH. FILIVS TVI PRO LIBITO
IMITATOR LVBENS
GRATI ANIMI, CHARITATISQVE ERGO
EXIGVVM HOC
D.

AD LECTORES.

Cum in animum jure inducerem Hippocratem omnium judicia caeteris praestasse Philosophis dum docuit multas res colligendas esse, quas experientia probasset priusquam quis ex illis aliquid deducere auderet, cum vera semper habuerim, quae in Cicerone reperiuntur = Commenta opinionum delet dies, naturae judicia confirmat =. Cum denique desiderio flagarer opem hominibus ferendi, qui morbo conflictarentur, nil melius duxi, quam Clinicae Medicae operam navare rerum potius, quam sermonum, qui ingenia atuntur, consideratione, dicente praesertim Bacone = Quae in Natura fundata sunt crescunt, et augentur, quae in opinione, variantur, et non augentur = Quapropter omnem curam, tempusque omne, quod mihi a laboribus necessariis superesset, ad ea, quae in statu Pathologico humani Corporis forte occurrunt, et quae nos erudiunt, ac ad ea, quae morborum initium, progressionem, finemque comitantur, nec non ad vim medicamentorum, quae hisce morbis adhibentur, conferre proposui.

En quo spectant hae meae Selectae animadversiones, qualescumque sint, in Decades distributae, quibus si quid me Dei ope profecisse intellexero, operam, atque oleum non me perdidisse, ut ajunt, putabo, animoque erigar ad novas in dies elucubrationes exhibendas.

Bene vosmet habeatis oro, et aequo, quodcumque hoc sit, accipiatis animo.

DECADIS PRIMÆ

HISTORIA PRIMA.

Mulier optima virium constitutione praedita, et Mater faecanda, leato, atqae coatumaci capitis dolore duodecim ab hinc annis laborans in Nosocomio XL. aaao aetatis suae medicaa artis auxilia experiri voluit, quia nallam ei variis ex medicamentis rita a compluribus Medicis adhibitis, fuit levamen. Summo Miserae cruciatu Cephalalgia ao pervenit, at lycaathropicum delirium inferret absque fabra, sed samma cum pulsuum exilitate, et cum sensu frigoris in intoriori capitis parte dextera, ao saepo saepius cum recurrentibus, dirisque hystericis convulsionibus; tamen digitalis purpureae, et oxtracti hyosciami proficua ope, parvis, repetitisque per phlebotomiam, atque Hirudines Sangainis missionibus una cam Diaetetico regimiae vitam per quatuor meoses minus anxiam duxit. Toto hoo tempora appetitus semper, ac caastaater praesto fuit, ati etiam naturae vires. Taadem vero aactis, ac frequentias male habentibas totum Corpus convalsionibus, miserrime vitam cum morte repeate commatavit. Postridie aatem ad Cadaveris sectionem deventum. Detractis capitis integumeatis, Pericranium, at ipsum cranium intus, ac exterius ocalis perlustravi, omniaque in stata natarali constituta cognovi. Solummodo sinum durae matris una cum aliis ipsius

cranii, voricosem, abundantique sanguine grumefacto repletum vidi, uti etiam alias venas in illud se ingerentes. Ablata dura Matra, Piam inspexi turgidis venis nimie sanguine repletam: ast araceoidea membrana cum ipsemet substantia corticali, ac midullari ipsius Cerebri, atque Cerebelli, nec non plexes coroideus normaliter constitutes satis aperte pateit. Pars vero anterior sinistra Cerebri aliquantulum tumefacta exterius videbatur, ct revera tote cerebro horizontaliter secato jexta suos ventriculos tumor in ipsemet ventriculo sinistro folliculatus inventus, materias repletus glutinosae, flavescentisque, et albumiei ovi fere simillimae, ipseque folliculus flaccidissimus erat, et quam facillime ex solo ipsiusmet Cerebri compressione fractus fuit. Hic tumor maxime inerat anterius eidem ventriculo, et reliqua eoi parte fere totem ventriculum pervadebat usque ad ispsum Ippocampum subjacens. Deinde Thorace, nec non Abdomine reclese nil peculiari observatione dignem respexi. Admodum cariosa est Historia Valsalvae a Cl. Morgagno (1) nobis enucleata. Et aliae non dissimiles in Bonetti (2) Sepulcreto legi possunt.

HISTORIA SECUNDA.

Vir Agricola, habitu corporis quem robusto, en pleno, nec non laboribus, bereeleisque viribus dedito, annos quinquaginta, et octo circiter natus, byberno tempore post inepti victus

(1) *V. De Sedibus, et Causis morborum per Anatomen indagatis Epist I. T. I. §. 6.*

(2) *Lib. I. S. II. Obs. 8 et Seqq.*

speciatim farinosi, et pultacei usum coepit molestissimis doloribus laborare in toto Abdomine, et praesertim circa Umbilicum cum hypocondriorum tentiore una cum diris convulsionibus, ad tympanitide; Alvus adstricta; deinceps vomitus accessit primum cibi, potusque, tum etiam bilis, aliorumque humorum, ac demum putrium, foetidarum, faecaliumque materiarum inter summas anxietates, et crebra animi deliquia; itaque torminibus undique circumventus, noctem insomnem duxit, cruciatibusque plenam. Postridie incaluit febris, exasperata sunt omnia Symptomata, quibus atrocissimas colicas stipari scimus, et tumor circumscriptus, magnitudine ovi Gallinacei in dextera inguinali regione repente apparuit. Protinus Medicus viciniar, nescio quis, advocatus accurrit; victu umido, ac lubricante uti, largius bibere Abdominis regionem fovere, et Clysteres comunes adhiberi jussit, et illico tumori emplastrum bis in die variandum imposui. Quamvis Ægrotus noctem subsequentem satis quietam duxisset, mane febris recruduit, sed vespere omnia placidiora videbantur, et sic saepe saepius demulcentia, et immediotas hordei aquae ablutiones, Clysteres, Emplastra adhibens, ad septimum diem pervenit, et alvus semper obstructa fuit, nullo subsidio juvante. Octava vero morbi die tumor ad perfectam suppurationem accessit, ut ex fluctuantibus materiis satis patebat. Eadem etiam die sine Lanceolae ope tumor solo conamine naturae se aperuit, ex quo pus, et faeces cum verinibus nimia aegri, ac circumstantium admiratione prodierunt. Hoc corporis miserabili habitu fidelium auxilio ad Nosocomium hoc Regium Montis Sancti Sabini fuit asportatus. Ægrum statim ego ipse pervidi, ad vulnus ingens longitudine fere septem pollicum, atque

fastidio ventris excrementis sordidum abluendum curavi, deinde panniculis lineis minutis contortis, atque cylindrulis ex linamento carpto factis, undique adimplere statui, atque Rosarum oleo partibus proximis inunctis, tribus spleniis, quorum aliud alio majus erat, graviter contexi mantili cum scapulari supra deligato. Ut breviter loquar, sub ipsam curationem bis in diem renovatam, victusque ratione rite adhibita, tale, ac tantum fuit naturae artificium, ut quadraginta dierum fere spatio alvi functiones in pristinum redactae fuere, et plaga ad firmam cicatricem ducta solummodo stercoris spumosam, ac fluidiorem partem ex fistulosa parvulo foramine cum aliquantulo pure manabat. Mirabar interim in hujus curationis decursu lusum naturae, quae Ulcus externum quo celerius ad cicatricem perduxit, eo serius arti medicae ad fistulae glutinationem absolvendam auxilium praebebat. Hac miratione concitatus per sinum usque in Abdomen specillo obtuso immisso sonitum, qualis ex mutuo metallorum contactu esse solet, animadverti. Protinus ad Sinus foramen dilatandum, ac incidendum per adhibitum scalpellum in Sulculo cavi specilli ductum rite accessi, deinde Volsellaque aciculam intus adhaerentem deprehensam inopinanter extraxi. Propterea tutius, ac majus fuit Ægri solamen; Nam hiatus in inguine relictus per quem, quasi per novum quemdam Anum excrementa subtiliora prodibant, immissis, quoties opus fuit, globulis ex filis lineis instructis, ad opportune illigatis, breviter coaluit, et Ægrotus quam cito invaluit, atque adhuc prospere vivit (1).

---

(1) *In hac Historia quod attinet ad aciculam*

HISTORIA TERTIA.

Agricolae uxor, annorum triginta quatuor circiter, Sthonici, ad irritabilis temperamenti, Matrimonio feraci duodecim ab hinc annis conjuncta, hyberno tempore quum gravi peripneumonia laborans, tertio morbi die in hoc Xenodochium sub solis occasum translata fuit. Genae rubebant, et igneo fervore incalebant, ingens respirationis difficultas Ægram erecta cervice spiritum ducere cogebat. Tussis sicca, frequens cum expuitione pauca, tenui, ac Sanguine tincta numquam quiescere sinebat. Febris ardens cum maxima pulsuum duritie, et vehementia continuo frigidi potus, atque aeris desiderium ei augebat. In hoc rerum statu Diaetam religiose observandam, et statim Sanguinem e Brachio ad uncias octo mittere jussi, et ad sitis extintionem tartaro stibiato rite permixtam aquam praescripsi; mane autem in deterius morbo ruente, sanguinis missio ex alio brachio duplici mensura iterata fuit cum aliquantulo respirationis levamine, et cum faciliori materiae magis crassae, et coctae excretione. Potio repotita est, ac simul misturae hujusce cochlear amplum unum secunda quaque hora sumendum multa fide commendavi.

R. Acidi Prussici guttas XL.
Aquae Rosarum IV. uncias
Syrup. Papaveris albi Unciam unam, et dimidium.

---

fortuito cibo permixtam, et inconsulte glutitam Morbumque ferentem admodum perrarum mihi videtur ac nullam simile forsitan nemo adhuc egisse meminerit.

Et revera post quam aegrotans intra Nycthemeron quartam hujus medicaminis dosem sumpsit, omnia Symptomata in melius sese habuere, et remitti inflammationem novimus, nihilominus Potio, ac mistura adhibitae fuere donec pulsuum durities, atque impetus, et respirationis angustia expescere visae sunt. Noctu vero sub octavae diei cursum per totam corporis ambitum maculae rubri coloris ad nigrum vergentis eruperunt, et circa octavae diei finem, et nonae initium maculae repente evanuerunt, et crudelia tormina saevierunt circa Uteri regionem, sed caeperunt Catamenia fluere, et triduo devicta morbi potentia, ad pristinam Salutem paulatim Mulier incessit.

Hac Peripneumonia, et nonnullis aliis similibus thoracis effectionibus, bronchitide scilicet, atque catarrhis formam inflammatoriam induentibus, edoctus sum quam obstet acidum Prussicum ne diutius progrediantur, neve conditio flogistica, ad quam tendere videntur, denuo efflorescat. Gemina interim hac indicatione perductus, hoc remedio Pertussim, Dyspneam, Ejusque varios gradus, ac Pthisim tuberculosam in qua jugiter recurrentium series processuum phlosisticorum suboritur, hodiernorum Clinicorum (1. 2.) confirmatae, summaeque auctoritatis exemplo, faciliter debellavi.

---

(1) *V. Memoria presentata da F Magendie all' Accademia delle Scienze di Parigi nel mese di Novembre* 1817.

(2) *V. Annales de Chimie Tom.* 57. *Pag.* 128. a *Tom.* 93 *Pag.* 136.

HISTORIA QUARTA.

Phthisico (1) hujusce modi viginti quatuor annorum Acidum Prussicum in emultione arabica Ego ipse obtuli, et sic inflammationem fugavi, quae identidem aliquod in tuberculum prodire conabatur, praetereaque aerumnosae illi longius vitam minus miseram largitus sum. Nam tussi rarius laboravit, et sputorum quantitas decrevit, quae originem ex tuberculis ducebat suppuratis antequam Æger Nosocomium adiret, quo immature egressus ad rusticas operas redivit, sed post decem quatuor menses febre petecchiali correptus e vita excessit.

In Auptsia Cadaverica nil mire adnotandum inspexi.

HISTORIA QUINTA.

Villicus ad rusticum opus quam aptus, atque ipsis laboribus suffultus bilioso temperamento, vigesimo quarto aetatis suae anno, dentis acutioris actione sub opilepsiae insulto fortiter linguam vulneravit. Paucis horis transactis febris accedit cum frigore, quod protinus calor immodicus excipit. Sed frigore febrili adhuc praesente linguam subitus dolor, calor et rubor occupat, quorum singuli magis magisque increscunt; summus loquelae, ac deglutitionis necessitate, ac difficultate. Saliva viscida, ac glutinosa sponte profluit, facies rubet,

(1) *Phthiseos imtium fuit Pneumonorrhagia a vehementiori nisu pectoris orta in attollendo pondere duos annos antea.*

caput dolet, urget sitis; omnia haec Symptomata quietem, somnumque demebant. Interea febris, licet manifeste inflammatoria, diversis tamen horis remisit, ac post has iterum increvit. Periculosam Glossiten esse sciebam (1) ni cito resolvatur, aut in abscessum cito secundum desinet; ocyssime igitur horrendo malo occurrendum esse Medicis auxiliis statui. Os saepe emolliente decocto, aut lacte tepido colluendum volui, Cucurbitulas dorso scarificatas defixi, collum cataplasmatibus idoneis circumcinxi, et alvus enematibus, ac potione Cathartica solicitata est. Nihilominus tertio morbi die lingua praetumida nequaquam moveri potest, imo ob molem auctam exeritur biante ore, pulsus duri, ac frequentes erant; respiratio, atque deglutitio difficilior suffocationem comminabantur. Dum ita se res haberet, sanguinem tam ex Brachio, quam per hirudines circa mentum appositas detrahere jussi, quia raninarum sectio valde commendata, ob tumentem ubique linguam, haud institui poterat. Vapor ex aqua, et aceto frequentius ore hauriendus Ægrotantem aliquantulum refocillavit. Quinta morbi die lingua copioso lymphae cooperta fuit coagulo et septimo sudor per universum corpus, ac Urina cum lateritio sedimento apparuit. Quo facto Symptomata glossitis remiserunt, ac paucorum spatio dierum sua linguae mollities, ac pristina Ægroto salus fuit restituta.

---

(1) *River. Praxj. Med. Lib. 5. Cap. I. pag.* 86. *Et Ioan. Petr. Frank de Curandis Hom. morbis Tom. I. Pag.* 66.

HISTORIA SEXTA.

Vir triginta annorum firma valetudine, optimo corporis habitu praeditus, incaute post nimium aestum refrigeratus, largeque vino exhilaratus in Tetanum incidit universalem. Nam brachia, et manus secundum Trunci longitudinem extensas habebat, rigidissimas, et trunco firmissime appressas, crura, et pedes eodem modo affectos. Venter contractus, et instar lapidis durus, nec non attactu dolens, spina dorsi rigidissima cum maxima colli immobilitate, maxillae pertinaciter clausae, musculi massetares, et temporales tumentes, et ingenti duritie laborantes; oculi, genaeque rubebant; Febris ardens aderat cum arteriarum impulsu, ac plenitudine, et magna respirationis difficultate. Hoc gravi morbo periclitantem aegrum vix Nosocomium sub meridiem ingressum in balneo aquae tepentis detinendum statui, donec pulsus mollior, et tardior evaderet, collum, dorsum, et pectus dum in balneo jacebat fricandum jussi. Dimidia circiter hora transacta Diaphoresis effusa, Ægrotum e balneo educi mandavi; Rigor maxillarum tantisper imminutus exiguum dedit Spatium inter incisorios dentes effractos, per quod aliquid Tartari Stibiati in aqua Lauro Cerasi soluti ingeri potuit. Hujus potionis praebitionem per noctem omni bihorio epicratice continuandam, ac mane balneum renovandum mihi optime visum. Balneo septies in triduo repetito, et solutione nuncupata rite hoc interim adhibita, sudor pene anglicus quarto morbi die septem horis toto corpore quam largissima profluit; quo paulatim decrescente, tetanica Symptomata paulatim soluta fuere, et sic impletum

est Divini Effatum Hippocratis (1). Qui a Tetano corripiuntur intra quatuor dies pereunt, si vero hos effugerint, sani fiunt (2).

HISTORIA SEPTIMA.

Floridus Adolescens sanguineo temperamento praeditus, biennio Hemicrania supra-orbitali quam pervicaci cum spastica palpebrarum contractione laboravit, e nullo adjuvante medicinae, ac Chirurgiae subsidio. Æstivo autem tempore diris capitis doloribus excruciatus, dum magnis clamoribus opem petebat, inopinanter epistaxi uberrime affluente correptus fuit, qua per biborium continuante, Ægrotus vermiculum naribus exorevit adsimilem Scolopendrae Elaotricae; (ut Zoographiae studiosissimi vocant). Quo facto immania Cephalaea, et Epistaxis statim conquievit, et ex illo tempore rediit perfecta salus. De vermis hujus genesi, ac de ipsius infausto, diuturnoque in naribus hospitio nil dicam, et meditationi in arte Excellentium relinquam. (3)

HISTORIA OCTAVA.

Mulier alacri ingenio, et corporis textura minus firma, sed sensibili, ac florida instructa, anno decimo octavo aetatis suae ad Nuptias devenit, et mater feliciter sextier fuit. In septimo vero

---

(1) *Aphor. 6 Sec V.*

(2) *Veritas hujus Prognoseos multis etiam probatur observationibus, quas tradidit Haenius Rat. Med. P X. Cap 3 Pag. 123. et seqq.*

(3) *V. Burs. Vol. 5. Cap. I. Pag. 7. et seqq.*

partu molas nonnullas sarcomatosas diversae magnitudinis reddidit. Post haec omnia, cum jam ad annum trigesimum quartum pervenisset, Catamenia, quae usque adhuc large, ac rubicunda fluxerant, caeperunt parce, ac tenuiter fluere. Deinde laboravit morbo cum decolori facie, et totius corporis lassitudine, nec non sensu tumoris vagantis in abdominis cavitate huc, et illuc enatis joxta situm corporis in cubili servatum. Interim nullo medicomine adhibito Catamenia omnino evanuere, alvus stipata est, paulatim totum corpus ad summam emaciationem devenit, et tumor magna mole auctus, imperium firmavit in toto Abdomine. Pedes oaedematosi, sitis molesta, ac urina imminuta, colorataque apparuit. Materiae fluctuantes in tactu abdominis digitos percutiebant, uti in ascite. Sed diligenti examine in tangendo Epigastrico, patefiebant diversimode disposita varia corpuscula dura, ex quibus nonnulli medicorum etiam curiositate perducti, ambiguum judicium de hoc morbo ferrent Labentibus vero mensibus in medicinae contemptu accessit pertinax Dysnea, et abdomen magis, magisque intumens ad nimiam praeternaturalem extentionem pervenit, ita ut venter duplicatus videretur, et pendulus super crura jaceret. Pulsus numquam fuit febrilis, et, ut breviter loquar, sic miserrime vitam transegit obambulando per duos annos, et vltra. Tandem ob maximam virium defectionem lecto firmiter fixa jacens per quatuor circiter menses, atrophia consumpta, mente tamen integra, et usque ad extremum medicinam perosa vitam cum morte commutavit.

Desecto Abdomine tumor ingens apparuit in quatuor partes divisus, et communi folliculo circumdatus, qui antoriori parte cellularis membra-

nae ope stricto cohaerebat. Interstitia variis admodum vasis arteriosis, et venosis exilissimis intertexta erant, ex quibus probabiliter tumor vitam, et augmentum traxit. Superius arctissime adhaerebat Omento, et pluribus locis conjunctus erat cum ipsimet colon transverso, inferius vero parte sinistra connexus erat cum tuba Falloppiana; ut ne summa quidem cultri diligentia dividi posset. In dextera parte vero liber manabat. Ablati ex Abdomine hujus tumoris pondus ad XXX. circiter libras ascendebat (1). Undique dissecatus materiam colore variam, et tenacitate effudit. Jecur, Lien, Uterus, et alia viscera Abdomine inclusa nil observatione dignum praebuere.

HISTORIA NONA.

Puella Decennis Caccochymica, et facie pallidiuscula, sed satis valens, Autumnali tempore variolis tunc epidemice crassantibus, et quidem confluentibus correpta fuit. His repente quam citissime exsiccatis, febricula quotidianae in modum exacerbans diu persistit, quae tandem depulsa fuit cortice peruviano, aliisque medicamentis ex Chalybe paratis. Cum autem aegra lente convalesceret in scelotyrbem, sive Choream S. Viti incidit; qua laborans Nosocomium ingreditur pridie Kalendas Decembris, decimo sexto morbi die. Circa Vesperam huic aegrotanti ego praesto fui, Omnia Symptomata hujus morbi clare vigebant, et a nervorum irritatione oriri satis patebat (2).

---

(1) *Tumorem fere simillimum accurate descripsit Dott. Forlanius Obs. 2. pag. 37. et seqq.*

(2) *Exanthamata retropressa hostiliter ner-*

Primitus statui ventrem a contumaci stipatione solvere, leni Eccoprotico, quo dejecta sunt multa excrementa nonnullis cum verminibus. Nox irrequieta fuit; mane respuit omnia quae nutriendi consilio offerebantur, et avidissime hauriebat aquam acido citrico, ac melle mixtam. Vespero morbus incruduit; Puella pauca loquitur, ut plurimum desipit, irritabilitas augetur, atque morbosa mobilitas. Hoc interim vesicans posteriori cervici, et osso sacro impositum volui, siccati frictionem linimento volatili bis in horam per totam Spinam repetitam. Postridie vero singulis mediis horis pilulam assae foetidae sumendam praecepi. Hoc medicamine, et congrua victi ratione morbus mitescere videbatur, sed Ægrota identidem ingemiscebat. Quatuor diebus ita transactis, et inde morbo decrescente, sensim minuendam pilularum praebitionem curavi. Deinceps sola corticis peruviani, et Valerianae silvestris decoctione rite adhibita, paulatim invaluit, et Idibus Januarii integrae sanitati restituta domum petivit.

HISTORIA DECIMA.

Viator quidam Parmensis annorum quadraginta, et octo, jamdudum Ictere laborans, et parum sibi cavens ab insolatione, febre ardentis-

---

vos aggredientia, morbi hujus, aliorumque formam induere posse haud dubiam fidem faciunt Praestantissimi Burserius, Cullenius, Tissotius, aliique multi Saniores Clinici.

sima deprehensus, desinente Vere, hoc Hospitium adivit. Protinus de acuto capitis dolore conquestus est, qui a vertice ad aures usque porrigebatur, sed ad dexteram magis; facies tumet, rubetque: Oculi nimio Sanguine turgidi fere defixi, immobilesque prominent; pulsus celer, durus, intermittens. Diagnosis Cephalitis satis clare, et perspicue cernebatur, uti etiam ejus causae, Prognosis, et Curatio. Sanguis ergo primum e vena brachii eductus est, qui crusta pleuritica obtegebatur. Catharticam potionem aeger sumpsit, fronti lintea ex posca expressa apponuntur. Non remittuntur Symptomata, imo proxima nocte febris incaluit cum vomitu bilioso conjuncta. Mane adhuc pejora. Mens veluti stupida torpet, aut desipit. Iterum mittitur Sanguis irudinibus temporibus applicitis, et aqua oxymele, et nitro mixta ad sitim expellendam praescribitur. Vespere Æger obsurdescit, et ab imo pectore trahit suspiria, extrema rafrigerantur, sed vehementi febre sese expandente recalefiunt; interim pedum motu irrequietu, et manuum erratica agitatione inordinate e lecto exilit modo huc, modo illuc corpus jactans, omnia quae praebentur respuit. Vesicans latum vertici imponitur, et plantis pedum epipastica. Nocte provecta summo cum calore Febris exardescit, genaeque magis rubent, sed pulsus exilis, inaequalis, respiratio pene stertorosa, et coma somnolentum supervenit. Æger jam jam moriturus videbatur. Circa meridiem subsequentem alvus sponte laxata est, et epistaxis copiosa profluit. Hinc quasi omnino sublevatus Æger, et ab Orci faucibus revocatus videbatur. Transacto triduo cum omnia in melius sese haberent Opisthotono accedente, finem vitae sternendo repente implevit septima morbi die.

Cadaver sectum est. Dura Matér cranio ita adhaerebat, ut difficillime divelleretur. Ejus vasa, cranio oblato, sanguine plurimum distenta, et praeter modum turgida apparuere. Pia mater aliquanto durior solito inventa est sic, ut aegre discindi posset. Remotis Meningibus, superior laterum cerebri corticalis pars plane corrupta, et putrida coloris plumbei reperta est sine ulla puris effusione. Medullaris substantia, quoad discerni potuit, intacta erat. Credibile tamen cortice cerebri inflammato, et turgenti medullam quoque compressam fuisse. Nihil in ventriculis, nihil in cerebello praeter naturale visum est; Si seri aliquantulum flavi excipias, quod sub cerebello effusum ad medullam oblongatam, et initium spinalis usque protendebatur, causa fortasse vera Opisthotoni, qui postremo supervenit, et vitam misero confestim secavit.

Decadis primae Finis.

DECAS SECUNDA

HISTORIA XI.

Mulier firma viribus, et semel mater, cum trigesimo tertio anno aetatis suae in Scotomiam, sive vertiginem tenebricosam incidisset quod in anteriore parte rhedae velociter actae, obversa facie sedisset et cum incassum plures adiisset Medicos, opem Medicam in Nosocomio experiri voluit quadragesimo sexto morbi die — jam accessiones vertiginis ita increbuerant ut quater, aut quinquies qualibet die reverterentur, singulaeque horam, et Sesquihoram perdurarent — hocce in morbo non solum visus, et auditus, sed tactus etiam, interioresque sensus laborabant: nam post apparenter rerum objectarum rotationem, et corporis nutationem, oculi caligine penitus offendebantur, et plerumque cum aurium tinnitu, vel, obtuso quodam sonitu factus hebetudo jungebatur. Hujus aegritudinis causa procatarctica quam perspicue patebat, de proegumenae vero natura aleam; Etenim quamvis multa a Pathologis (1) excogitata, et prolata sint ad eam explicandam, nulla tamen usque adhuc in hypothesis tenebris lux satis clara effulsit.

---

(1) *V. Gaub. Instit. Patholog. Med.* § 721. & *Sauvag. Nosol. Class. IV. Ord. I.*

Sanguinis missiones, emesim, et catharsim valde sibi nocuisse Ægra offirmat gravioribus et hoc methodo paroxysmis frequentius furentibus; contra autem ex paregoricis oliquantulum levaminis se expertam narrat secus ac Gorterius (1) observavit. Quapropter illico pilulas assa foetida, et opio pauxillo confectas praecepi, quarum nonam vel duo singulis mediis horis per sexdecim dies Ægrotans sumpsit. Hoc interim vesicans posteriori Cervici, et deinde osso sacro imposui, ac statui totam spinam linimento volatili bis saltem in die inungi.

Hac curandi ratione statim morbus mitescere visus, sensimque Scotomiae paroxysmis decrescentibus, sensim et Pilularum praebitionis frequentiam minuendam curavi. At quamvis adhibita sint quae roborandi vi pollent, ut Cortex Peruvianus, Chalibeata et Diaeteticum regimen rite institutum, tamen uno, et dimidio opii grano quotidie per duas hebdomadas, deinceps alternis diebus, et postremo quavis quarta vel quinta die vorato, et radicis Valerianae Sylvestris Decoctione, desuper bausta, convaluit.

HISTORIA XII.

Villicus sexagista quatuor annorum mucis confectus, et quam pervicaci Ascite diu laborans ad Xenodochium hoc sub vitae finem vespero translatus fuit. Postero mane Colica icterica excruciatus fato inopinanter functus. Paracentesi in Cadavere instituta quam plurimum aquae flavescentis exivit, eodemque colore linteum im-

(1) *Dissertat. de Vestig. §. XXXVI.*

missum infecit. In Necroscopio hepar praetumidum subviridèque apparuit. Vesiculam folleam Calculis ad pisi magnitudinem plenam, et felle omnino depletam inveni. Nil aliud observatione dignum inspexi. Centum sexaginta circiter calculi erant, Polygoni, subargentei, variisex lamellis radiatis compacti, friabiles, in aquam tarde subsidentes, et combusti resinosum odorem edebant. Lethalis haec colica à calculis felleis Cystim nimio cum dolore irritantibus orta videtur. Burserius, (1) Morgagnius (2) Sabbatier (3) et Boucherus (4) hunc morbum loculenter illustrarunt.

HISTORIA XIII.

Foemina quaedam textrix quadraginta circiter annos numerans in asciten delapsa, post variam, diuturnam, inutilemque medelam Hospitium adivit. Cum enim hanc tabe jam, et febre confectam, difficillime respirantem, et summe anxiam, tantos simul abdominis extramodum aquis extensi, dolores accusare, ut, nisi optata sibi ventris punctio concedi vellet, hunc sibi cultro se adaperturam esse, audiverim, ne saltem adeo desideratum vitae brevioris solatium deesset, ad paracentesin instituendam devenì (5). Qua artis lege institu-

---

(1) *V. Vol.* 8. *cap.* 13. §. 156, *et seqq.*

(2) *V. Æpist. Anat. Med.* 37.

(3) *T. Tentam. Med. de variis calcul. Biliar. Specieb.*

(4) *V. Observations sur les pierres biliaires etc.*

(5) *E Vulnere Paracentesis effusae sunt triginta quotuor librae aquoe claroe, flavaeque, quae per aliquot dies fluere persistit.*

ta, foemina haec, ad caetera rebellis, nullo alio medicamine, post insignem urinarum evacuationem ab hydrope in integrum et ad pristinam corporis elegantiam quinquaginta dierum spatio restituta fuit.

HISTORIA XIV.

Mulier in firmae valetudinis, annos triginta et octo nata, febri, dyspnoea, virium prostratione, et doloris punctorii sensu in dextero latere laborabat. Vena secta, datum enema. Menstrua accedunt, his cessantibus os amarescit, Alvus adstricta. Emeticum sumpsit quinquies, et viginti alvus soluta est. Ægrota torminibus torquetur circa umbilicum, tussicula sicca, et spasmo Cynico vexatur, ac mydriasim exhibet. Tunc se hisce symptomatibus interdum conflictari confessa est. Mixtura Laudani Liquidi et aquae cinnamomi ad turbas nervosas compescendas epicratice propinata ejecit taeniam decem ulnas Longam; ex inde valetudo ejus confirmata est. Quamvis in hujusque morbi Historia non nulla vermium Diagnostica signa eluceant a Cl. Auctoribus (1) nobis tradita. Taeniae tamen dejectio Tartari Emetici (2) indirecta ope solicitata est cum ne de ipsa quidem suspicio fuerit.

---

(1) *V. Brera Op. sopra i Vermi. Rahn. in dissert. de Visceribus Abdominis Baglivi Gior. Med. di Venezia* 1774 *pag.* 217. *Cocchi Bagni di Pisa pag.* 228.

(2) *Tartarum Emeticum ad radicaliter taeniam expellendam valde conferre iteratis experimentis haud dubie asserit Fidelissimus Bursèrius Vol.* 8. *Cap.* 10. §. 36. *et seqq.*

HISTORIA XV.

Bajulus annos triginta natus, et sanguinea corporis temperie praeditus in Nesocomio vera peripneumonia cum febri continua nervosa (1) complicata laberavit. Huic facies erat ruberrima, difficilis spiritus, aspera tussis, dolor lancinans, qui à scrobiculo cordis ad hypochondria transversim extendebatur, et denique pulsus frequens, plenus, ac durus adeo, quam qui maxime. Simul peticulae conspiciebantur, mens erat delira, ac vires pene exsolutae videbantur. Feci cubanti medicinam cum venae sectione, qua sanguis ad octodecim uncias detractus fuit, ac postea cum cortice peruviano, et camphora eo eventu, ut paucis diebus post aeger sanitati restitutus domum reverteretur.

Sic doctus sum in uno, eodemque aegroto neque unam indicationem explendam esse, neque ejusdem generis medicamentis, sed saepe natura, virtute, atque effectu penitus oppositis opus esse uti luculenta experientia demonstrant doctissimi viri (2).

HISTORIA XVI.

Æger agrestis mediae etatis, eximii roboris, entertitide correptus ob frigus abdomini, pedibusque diuturus admotum in xenodochio occubuit. Venter acute dolebat, et circa umbelicum fere intorquebatur. Alvus erat occlusa dum inta-

---

(1) *Ataxica a Pinelio Nuncupata V. Nosol. Med Clas. 1. Ord. 5. Gen. 11.*

(2) *V. Frankium, Carminatum. Rastium et Raggium.*

rea vomitus assidue saeviebat. Pulsus duri ac contracti frequenter admodum micabant. Praestitum nihilominus ei saepius balneum calidum tantum profuit, quantum fuit satis; ut imminuto prius dolore dein sublato, vita in tuto esset ac secunda valetudo confestim rediret remedia etiam interna ex emollientibus, mucilaginosis tepide porrectis auxilium praebuere.

HISTORIA XVII.

Sareitrix anno trigesimo secundo aetatis suae occubuit post-quam per annum, et sesquiannum gravissimis morbis fuisset conflictata, inter quos fuit primitus Hemierania, qua aliquot mensibus singulo die septimo discruciabatur. Convulsionibus quin etiam febribus tertianis, aliisque morbosis phaenomenis saepius divexata, perpetuo tamen de dextari lateris dolore conquesta fuerat à venere quamdiu et abhorruit, ac propter dolorem abstinuit. Nonnulli vero renem corruptum censebant eo quod urinas cruentas aliquando sa habuisse retulerat. Quin etiam pus per annum, et vaginam nonnunquam exeraverat in urinis pus, et arenulas crassiores conspexeram. A duobus extremis morbi mensibus omnino supra dorsum decubuit, neo ambulare poterat ob ingentem tumorem in dextero latare. Aliquot ante mortem hebdomadis fluor puris, et sanguinis copiosus per alvam. Condyloma magnum in ano cnematum injectionem, quibus saltem sublevabatur, impediebat intumuerant fibiae, tumebat quoque labrum dextrum pudendorum, hora una, aut altera antequam in Christo obdormisset fatum praesensit, mens suna remansit,

Sequenti die ab obitu institui sectionem tumore prius paracentesis modo aperto, ex quo serorus humor ad decem libras manavit, dein secato abdomine nil in visceribus, nil in ventriculo, ac intestinis praeter naturam animadverti. Solummodo Omentum non inveni. Sedulo perquisivi mulibria. Ex ovario dextero tumor insignis magnitudinis prodibat, e quo perparacentesim copiam sari praedicta eduxeram. Ex tunica crassa, quae externe adhaerebat aliquantulum dexterae parti Peritonaei, constabat: intus rugosa erat nullibi parvia, interius ei adhaerebat alter tumor ingens, quo hydatides multi scatebant Laevum Ovarium fere entonei molis erat, et in vacuum prolabatur ossi sacri vesicam, Rectumque comprimens. Utramque arteriam, veramque spermaticam valde amplam reperi. Hujusce modi organicae affectiones apud veteres (1), etiam reperiuntur.

HISTORIA XVIII.

Sutor quadragenarius, et ultra, cordis Palpitatione ab adolescentia laborans, ideoque lipothymiis interdum obnoxius, subita ira excandefactus dum cynanche in Nosocomio convalesceret ferali syncope praeterritur. Nil intentatum, nil proficuum. Quadraginta et octo, ut Lex provida jubet, boris transactis, Cadaver sectum. Dexteram Cordis auriculam a Polype intus contento diffractam, sanguinem in thoracis cavitate effusum, et sinistri ventriculi parietes fere cartilagineas

(1) *V. Schenchium lib. 3. Observ. Moriceau Tom. 1. Cap. 2.*

vidi. Polypus ille permagnus duobus ramis, serpens cavam, et arteriam Pulmonarum ingrediebatur. Æxtima sui parte grumosus, et nigricans intimo, et centrali albidus, tenaxque. Interiorem hunc concretionem ab aliis recentius sub extremum vitae efformatis differre ictu oculi discernebatur, et jamdiu extitisse recte credi potest, ut Morgagnius (1) de Pseudopolypis in Cadaveribus genitis clara demonstrant. Similibus ex Organorum morbis subitaneam mortem oriri necesse esse haud dubie in Clinica summopere valentium (2) auctoritas praedixerat, ac tristis experientia docuit.

HISTORIA XIX.

Ligni opifex trigesimum annum agens temperamento bilioso, viribusque deficiens, cum acerba torqueretur tristitia, et in aerumnarum meditatione noctu, diuque versaretur, Scarlatina corripitur, quae ob nimium refrigerium immature evanescit. Exanthema ad interiora repercussum febrim nervosam excitat. De dolore capitis primum conquestus. Cutis arida, calor mordax, respiratio anxia, insomnia terrifica, mens delira, lingua tremula, Pulsus duri, ac contracti, urinae tenues, ac spasticae ad revocandum protinus in cutem exanthema, et ad collapsas jam naturae vires reficiendas omne studium contuli. Quamobrem Carnium jura, et vinum cocleatim, infusa diapnoica, bamtum solitum cum refractis tartari emetici, ac posteu Camphorae dosibus, et exte-

(1) *V. Epist. Anat. Med* 24. *N* 3.
(2) *V. Hipp. aph.* 41. *Sct.* 2. *et Senac. de Coeur Lib. IV.*

rius cutis frictiones, sinapismos et demum vesicantia duce Frankio (1) imperavi. Morbus tamen Medicinae conatus effraenis aspernabatur. Hebes, et comatosus aeger jacebat, involuntarius mejebat, toto corpore rigebat, et tendinum subsultibus convellebatur. Pulsus debiles, et celerrimi existebant. Nona illuxerat dies, et in deterius morbo ruente certa pernicies imminebat. Tanto discrimine vitae universalem tepiduinque balneum proposui, in quo per dimidiam circiter horam aegro detento, cutis sudore manare caepit. Calor defervit, et pulsus vigentes bonum voto omen protendebant. Revera postquam aegrotus in calidum lectulum translatus fuit, vix unius spatio horae miliformes hydatulae, exanthematis retropulsi vicariae, toto corpore floruere. Symptomata omnia non laeviter perdomita. At virium jactura magis magisque comparet. Jucunde, et facile nutrientia, serpentariae virginianae infusum, chinaeque Decoctum indicantur. Quibus adbibitis, et per vices iteratis, decima quarta die saeva febris cum pravis symptomatibus profligata est.

HISTORIA XX.

Puella quaedam rustica viginti annos nata cum in saltibus ligna caederet indicem, mediumque sinistrae manus in eorum connexione una cum Metacarpi ossibus ita amputavit, ut unusquisque digitorum, de quibus dixi, vix tantilla cute palmae adhaereret. Comites foeminae ut sanguinis ingenti profluvio, quod ex arteriarum Digitalium

---

(1) *V. Tom. 3. Lib. 3. de Exomthematibus* §. 290. 326.

excisione manubat, occurrerent, linea resticula Cubitum prope manus articulamentum perorcte colligarunt, atque hoc vulnere saucium ut artis opem experiretur ad nosocomium adduxere. Excisos digitos frigidos omnino, pallidosque ad instar cadaveris reperi, et quamvis ita se haberent, nihilominus vino percalido lotos eo, ut res poscebot, apparatu ita cum metacarpo conjunxi ut huic penitus responderent, atque aegrotantem manum omnino immobilem volui doneo vincturae removerentur, quod post dies octo faciendum praecepi, ni tamen foetor putredinem denunciaret. Etsi id actum sit, invitis quibusdam adstantibus, qui censebant paullum Cutis excidendum, digitosque abjiciendos uti vita defunctos, tamen sexdecim post dies digiti mirum in modum coaluere, et vulnus constrictum est. Atquamvis digitorum juncturae duobus mensibus anchylosi laboraverint nihilominus consuetis Chirurgiae auxiliis fomentis scilicet balneisque emollientibus integram mobilitatem adepti sunt.

Haec, et alia similia, quae alibi (1) legenda praebentur, quod a Physiologis diu agitatum est = An pars aliqua organica penitus ab animali systemate discissa demum ai cohaerere possit = procul dubio diluunt.

Decadis Secundae finis.

---

(1) *V. Jo. Bell, de Vulneribus Tom*, I. *p.* 34. *et seqq. Heist. Inst. Chir. ec p. II. Sect I. Cap.* 32. *in notis. Journal des Sciences medicinales de Paris Article* „ Entes Animales „ *Giornale di Scienze, ed Arti di Firenze* 1816. *N.* 5. *e* 6.

INDEX

OBSERVATIONUM.

Decas Prima.

Decas Secunda.

		Errata	Corrige
Nel frontespizio		Variorum	Rariorum
Pag.	*verso*		
7.	4.	tentiore	teotione
---	---	ad	ao
---	20.	imposoi	imposuit
---	35.	ad	ac
8	17	que	quo
9.	*nelle note*	egisse	legisse
11.	5.	praeteresque	propteresque
12	6.	secundom	secandum
14.	7.	e nullo	nullo
—	23.	sextior	sexties
16.	9.	manebat	manebat
18.	16.	irudinibus	hirudinibus
19.	7.	Latorum	Laborum
20.	16.	factus	tactus
21.	1. e 2	et boc	ex hac
---	17.	que	quae
---	*nelle note*	Vestig.	Vertig.
23.	6.	in firmae	infirmae
24.	23.	entertitide	enteritide
---	24.	diuturus	diutius
---	25.	dilebat	dolebat.
25.	29.	fibiae	tibiae
26.	17.	veramque	venamque
27.	15.	tustitia	tristitia
28.	15.	moliformes	miliformes
30	13	exiccatis	exsiccatis